



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres**

**Commire, Jean**

**Lutetiæ Parisiorum, 1678**

Heliotropium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14818**

## C A R M I N U M L I B . I I .

103

Carminibus nostris , memori dignissime fama  
Annule : quem digitis Cæsar regalibus aptum  
Scilicet , ingenioque parem gestare solebat  
Carolus. Ille brevi pala , mirabile visu ,  
Currentesque rotas , implexosque orbibus orbes ,  
Ponderaque , & justo suspensam examine libram ,  
Indice cumque suo vocalia ceperat æra.

I nunc , i tenues nunc admirare quadrigas  
Græcia , quamque suis navem musca obtegat alis :  
Archytæ jaæta ludos , ficitamque volucrem  
Cœrula mendaci tranantem nubila penna ;  
Quæque Syracosii solers industria fabri ,  
Naturæque manus viætrix miracula finxit.  
Plus quiddam est cœlum potuisse includere gemma.

Nunc ego te ô præses , degendæque arbitra vitæ  
Machina ; sub rigido si te spirare metallo  
Non frustra perhibent , sed habet vis dædala mentem ;  
Unum oro , & dulci vates pro carmine posco ;  
Parce meo feralem horam properare Menalcæ.  
Sed potius relegens tua per vestigia cursum ,  
Fata redordiri , primæque reducere florem ,  
Quantum fata Deusque sinent , molire juventæ.  
Ceu quondam magna populi spectante caterva ,  
Per denos sublapsa gradus retro umbra cucurrit ;  
Ezechiaæque suos ævum revocavit in ortus.

Carolus V. Im-  
perator.

Sinæ machinam  
viventem appel-  
lant.

## H E L I O T R O P I U M .

LLUSTRES animæ , quas pulchræ gloria fortis  
Induit in florem , & pictis decus addidit hortis  
Sidera camporum , terræque parentis amores ,  
Cedite : formosumque omnes agnoscite pronis

Verticibus regem, parvoque assurgite soli.  
 Omnia solis habet, nomenque, orbemque, coloremq;  
 Ardentesque auro radios, ignemque serenum  
 Crinis, & innocua fulgentem luce coronam.  
 Indidit & motum solers natura ; suumque  
 Esse dedit terris, visu mirabile, solem,  
 Constanti qui lege dies metitur & umbras,  
 Attonitoque novum dedit tempus Olympo.  
 Quin & sensus inest flori, occultisque movetur  
 Illecebris: pulchrosque foyet sub cortice duro,  
 Quos radiis sol ipse suis exsuscitat, ignes.  
 Ergo ubi purpureo reduces Oriente quadrigas,  
 Auratumque videt dilecti sideris orbem ;  
 Ilicet haud dubius prodit sua gaudia signis:  
 Quemque modo exangui moriturum stirpe putares,  
 Nunc caput attollit nitidum, calicisque reclusas  
 Pandit opes, fulvumque comæ diadema superbæ  
 Explicat, & cupide tendit formosus haberi.  
 Mox animas efflat molles, pretiosaque amanti  
 Nubila : particulaque leves de corpore libat,  
 Ire omnis cupiens, ni votis gleba repugnet  
 Innectatque moras. Sed, quod licet, aspicit illum:  
 Palliduloque suos vultu testatur amores :  
 Est pro voce color. Nec amati gratia solis  
 Nulla refertur. Et is parili quoque carpitur æstu,  
 Et flammis calet ipse suis: gaudetque tueri  
 Quos pinxit radios, seque admiratur in illis.  
 Ast ubi nulla datur spectandi gloria floris,  
 Et cœco obtutus dirimit nox invida velo :  
 Ille moræ impatiens, (quid non amor improbus audet?)  
 Permeat obstantes nebulas, radiumque fidem  
 Mittit ad absentem, notis impressa figuris

Qui

Qui sua verba ferat , multam exoptetque salutem ,  
 Admoneatque sui , responsaque certa reportet.  
 Ipse autem quanquam præmisso interprete gaudet ,  
 Ni caro tamen aspectu , totaque potiri  
 Luce datur , lenta paulatim tabe fatiscit.  
 Demittit caput , & post aurea lumina solis  
 Dedignantem oculum quicquam spectare , tenebris  
 Devovet æternis : nimioque oppressus amore ,  
 Efficit ipse suo sibi dives caule sepulchrum.

## URANIE SEU THEOLOGIÆ DESIDERIUM.

### ECLOGA I.

LYCIDAS. ÆGON.

**F**ORMOSI Lycidas custos gregis , & bonus Ægon ,  
 Ægon ipse suis malas villofior agnis  
 Noto constiterant in gramine , qua fugit aspris  
 Cautibus elapsus liquido pede dives aquæ fons .  
 Dumque omnis luxu grex solvitur , & loca late  
 Concava lascivis resonant balatibus , ipsi  
 Stant tristes , lacrymisque humectant ora magistri  
 Grandibus. Alterno nec enim contendere versu  
 Ut quondam juvat , & tenues inflare cicutas ,  
 Ah ! nimius miseris angit dolor : impius ex quo  
 Nuntius attonitas fando pervenit ad aures .  
 Et siluere tamen , dum vinci dura ferendo  
 Nequicquam posse sperant mala. Verum ubi nullam  
 Accipiunt legem , & tectus magis æstuat ignis ;  
 Tum gemitu laxant iter , indulgentque querelis .

O